



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Eius elogium. n. 31.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1617. re se in mandatis vt Tyronis alicuius vitam conferberet; Exhorruit æger vehementer, de se id dici suspicatus, atque in lachrymas solutus & gemitus vocari rogat Rectorem, & ita alloquitur: "Non satis nouit R. V. mea quæ fuerit vita in sæculo, quæ in hac ipsa Societate; Meane vita vt scribatur? Et singultu interrupte sermonem multoque fletu vix acquieuit rem narranti, donec commonstrato defectuum collectorum indice adderet Rector, Nè metuas, frater, non est tanti tua vita & virtus, vt operæ pretium sit eam conscribi;) ea voce reddita est menti vultuq; tranquillitas. Reddita dico, quoniam in omni ægritudine nullus vnquam apparuit in Angelico iuvene tristior aspectus, aut verbum signumque quo displicere, ei quidquam argueretur, præterquam si quid ad suam laudem pertineret. Paupertas ei

Paupertas.

fuit carissima, auditusque est sub vitæ finem sæpius dicere, quod quidquid à Deo impetrasset beneficij, id omne commemoratâ Christi paupertate impetrasset. Mendicare ostiatim in delicijs erat, vt adamatæ virtutis effectus. Ne res quidem ad pietatem spectantes, vt sunt imagines, coronæ precatioræ, & similia vsurpabat si essent pretiosæ; adeo vt in nouissima ægritudine cum porrigeretur inauratum Christi Crucifixi simulachrum exolculandum, flagitauerit vulgari & simplici commutari; ex altero enim dicebat se pietatis nullum sensum haurire posse. Dato ad exeundum signo ad vestiarium properabat vbi galeri & pallia reponerentur, & sibi sumebat quod maximè esset tritum ac obsoletum; atque etiam quando infirmo quidpiam condimenti vel cibi operosius parati offerebatur accipiebat inuitus tanquam quod pauperi non conueniret.

Obedientiâ.

Quid deinde de Obedientia dicam, prompta, cæca, demississima? Christum Dominum in omni Superiore adeo sincerè agnoscebat, vt eius omnia dicta factaq; summa Religione veneraretur. Aequales etiam & inferiores in animo ducebat sibi Superiores; salutabat semper prior; de loco decedebat; neminem loquentem interpellare auditus est; in obsequendo alijs & ministrando expeditus & alacer aliorum erga se officia inuitus admittebat, adeo vt collapsis prorsus viribus si opis aliquid à præsentibus esset afferendum affligi videretur; quàm vero exquisita fuerit eius obseruantia erga eum qui infirmis præerat nemo est qui non prædicet.

Oratio.

XXXI. Ad donum venio Orationis quod in ipso ita erat excellens, vt verè dici possit omni in loco orasse & omni tempore, quandoquidem è re qualibet in Dei contemplationem & amorem rapiebatur; Neque tamen non accuratissimè ad domestica ministeria, cum in ijs esset, attendebat; precabatur autem semper flexis genibus nisi aliud à Superiore iniungeretur, & non difficulter impetrabat quod postularet. Peregrinanti cum Socijs duobus accidit vt sub vespèram festi in oppido bene amplo neminem reperirent qui eos hospitio vellet accipere; rogatus est à Sodalibus vt supplex diuinam opem imploraret, & ecce loci Medicus, qui eos antea aliquoties conspectos præterierat, comiter salutato inuitat domum, mensâ & cubili non sine domesticorum



1617.

sticorum incommodo excipit. Inter cætera quæ secum hæctica febris affert incommoda molestissimi solent esse defluxus multam cientes flegmatis eiectionem; animaduertens hanc grauem esse Socijs qui animi laxandi gratiâ ad eum ventitabant, petijt & impetrauit à Deo vt illo tempore ab ea molestia liber esset. Iuuuit autem ad Orationis efficacitatem absoluta cum diuina voluntate consentio quâ totum se illi in votis precibusque permittebat. Morbus iam diu cum lecto affixerat desperata salute, ardebatque vehementissimâ fruendi Christi cupiditate, id tamen vt postulare induci nunquam potuit; rogatusque ab alijs quid potissimum cuperet vt pro se Deum precarentur "vt, inquit, Sanctissima eius fiat voluntas.) Quanto animi affectu ferretur erga Venerabile intelligi potest ex ijs quæ de decumbente dicta sunt. Pietatem erga beatissimam Matrem Virginem sequentia declarabunt. Paucis ante obitum diebus, religione vt creditur ductus, capit subobscure Rectori indicare gratiam sibi quampiam à Sanctissima Virgine olim factam, quæ tamen clare ab ipso exprimi nisi præcepto non potuit, cedens obedientiæ hæc protulit. "Com essem in Belgio, & in literarum humaniorum studia incumberem Audomari in Seminario, inter orandum die quodam à sensibus alienatus visus sum intueri Beatissimam Virginem mediam inter Sanctos *Ignatium* & *Xauerium* ad me accedentem; tum manu prehensum viâ lucidissimâ plurimumque amantâ ducere ad ingentem magnificamque ædem, & "huc, inquit, ingredi, isthic tibi commorandum est (erat autem templum Societatis *Iesu*) comites deinde compellens, "Adolescens, ait, iste vester est, eius curam habete, vestra illum tutelæ commendo.) Illa discessit; ego mihi restitutus ingens desiderium Societatis constanter profecutus sum, atque eiusdem Sanctissimæ Matris ope, vtiego interpretor, sum consecutus.) Ita ille: tum verò primùm intellectum est id quod frequenter habebat in ore; "etsi omnes beneficio Virginis Matris in Societatem admissi erant, se tamen præ cæteris hanc illi debere gratiam.) De ea libentissimè in omni congressu ferebat sermonem, optans frequenter ad rudes indoctosque paganos mitti vt huius precipuè Cælorum Reginae laudes prædicaret, ignarosque institueret qua ratione esset ipsa colenda; totoque vno itinere Neapoli Romam vsque vix aliud afferebat in medium quam præconia Virginis.

Beatissimæ  
Virginis  
erga eum  
gratia.

Is autem qui duos annos purgatorij ignis moriens optauit in pœnam, viuens haud dubiè non indulgebat sibi: obseruatum est in vltimo morbo, sicut & in reliqua vita, importunas nunquam mulcas aut culices pepulisse; astantibus hac molestiâ illum leuare volentibus sæpius dixisse, "Permitte, permitte vt se reficiant.) Sedens quantumuis lassus aut æger nulli rei inuictebatur; infirmus nunquam ingemuit; nullam vnquam rem siue ad refectionem, siue ad leuamen vltro petijt, aut si quid deesset querebatur contentus oblati. Oculorum custodiæ impensissimè inuigilabat terram spectans, ne quid incurret quod mentis puritati officeret, quæ puritas quanta fuerit, & quot signis expressa, vitæ præsertim totius innocentia, dicere super se deo, ne aut minuta

Mortificatio.



1617.

1618.

quæque congestisse videar, aut ornare potius velle quæ gesta sunt quàm narrare. Is eius Rector qui vitam Italico sermone digessit non dubitauit multa huius precibus tribuere à varijs impetrata; quin & ea quæ ad eum pertinebant in domesticos tanquam aspersa sanctitate dispensare, ac tandem in hæc verba concludit. Magnam facerem iniuriam non *Thomæ* tantum, sed diuinis muneribus quibus illum liberalissima Dei manus cumulauit, si silentio præterirem (quod omnes pro certo habemus) Deum opt. max. singulari beneficio hanc domum affecisse, quando hunc nobis donauit. Solebat sæpenumero dicere moriendum sibi esse in Nouitiatu, mihi vero præterea, impetrasse se istud à Deo & Beatissima Virgine multis lachrymis: Intellexit propositam fuisse à Medico aëris mutationem vt conualesceret, at ille ad Socios conuersus, "Nequaquam, inquit, sed habetote certum quod hic sit mihi moriendum.) Et ad me," Quid est, mi Pater, quod non cupitis vt hic moriar. "Ad *Thomam* verò *Beringtonum* ( lux nationis Sacerdotem cum infirmum ille etiam infirmus inuideret ) præoccupans, (" Non amplius agatur de transmigracione, vult Christus Dominus eamus alia via ) atque ita accidit; vtrumque eo in loco ad se vocauit Deus vitæ cum laude antea præmijs donandum. Eadem vero quæ ad *Stillingtonum* pertinent *Messanâ* Romam compendio transmissa reperio in hæc verba.

"*Messanæ* in Nouitiatu memoria *Thomæ Stillingtoni*, qui Natione Anglus, Motibus Angelus, in Religione Nouitius, virtute veteranus, cū esset in Belgio clara visione vocatus est ad Societatem à Beatissima Virgine, quæ illi media inter Sanctos *Ignatium* & *Xauerium* apparuit, deductoq; ad Templum Societatis dixit, Hoc tuum erit domicilium, & commendauit Sanctis qui ipsam comitabantur. Breui post tempore dignum se probauit filium tantæ Matris: Exterius tam bene moratus vt à plerisque appellaretur Angelus, id quod interiorem harmoniam indicabat, donum Orationis habuit singulare, & in quocumque exercitio vnitus cum Deo obtinebat quod postulabat. Excellebat humilitate; solemter occultans dotes non paucas quibus ornabatur. Amabat vilis æstimari & nullarum partium, ferebatque ægre cum laudabatur. Paupertatem colebat vt matrem, amicissimus mortificationum; oculos habebat semper terram spectantes; sibi seligebat peiora quæq; sedendo non innitebatur; à facie neque sanus neque æger abigebat muscas; morti proximus petijt veniam se flagellandi; Cognita illi fuit mortis hora, quam à Deo multa prece obtinuit obire in Nouitiatu: Cum hæc illi nunciaretur vultu ipso ostendit lætitiã, neque vnquam visus est lætior quam ijs diebus quibus superuixit, præcipuè verò cum sacro Sancto donaretur Viatico. Mortuus est cum tanta opinione Sanctitatis vt nemo inducere posset in animum pro ipso orare, vnusquisque se illi commendaret. Reliquias eius multa cum deuotione quæsitæ variæ secutæ sunt gratiæ. Cadaver timidioribus addebat animos, omnibus pietatem; Excitauit eius mors in Nouitijs affectum singularem erga res diuinas. Accidit illa Octaua Natiuitatis Beatissimæ Virginis,  
Eadem



Eadem Regiâ quæ duxerat eum ad Societate Iesu militantem in terris, perfectio iam opere deducendo ad Cœlestiũ Societatem triumphanem in Cœlis.)

XXXII. Annum insequentem octauum-decimum memorabilem fecit Cometes qui ab horizonte emergens, eodem tempore cœsariem latissimam protendens, ad medium usque Cœli circulum, Europam vniuersam suspensam & sollicitam tenuit quid prænuntiaret: Id plerisque commune fuit: Nostram Leodij Tyronum domum res alia digna memoriæ excitauit ad misericordiam animarum in igne purgante detentorum, & peccati, quantumuis leue videatur, æstimationem.

Henricus quidam de Faux Patribus Leodiensibus in Sancti Seuerini villa olim famulatus fuerat, vir simplex & rectus. Huius filius Petrus de Faux à primo Anglorum in urbem aduentu in famulorum numerum admissus fidelissimè etiam seruiuit: Post annos fermè quatuor vi quadam atque occultâ violentiâ vexatus, & modò in terram, (nemine quem videret impellente) abiectus, modò quasi immenso pondere premeretur grauis, modò nè brachia in altum ad opus sublata demitteret impeditus, modò ad parietes violenter allisus, aut nè quo vellet progrediretur retentus, vitam ducebat ad plures menses permolestam; & nuuc quidem à malo dæmone infestari se arbitrabatur, nunc moteri à bono uti se per confessionis Sacramentum expiaret, tum vt fratri recenter mortuo succurreret, aut aliud quod occultum esset peragendum susciperet. Hactenus autem species ei nulla visum est oblatum est, donec Anni insequentis Februario mense, post mane peractam Exhomologesim, ad fœnicumulum violenter impulsus & propè exanimi, albi quidpiam & rotundi instar complicatæ manus ostensum est. Illo in angore ac trepidatione ductus ad *Ioannem Gerardum* Rectorem, tanto grauabatur onere vix vt pedem posset attollere, & præ contentione copiosus è naribus fluere sanguis: Vberimè lachrymantem, & cruore perfusum solatus *Gerardus*, appenso ad collum Agno cereo deducit ad cubile (erat enim noctis hora nona) monetque vt si quid se offerat roget quis esset quidque vellet? Quamquam autem quiescere cupienti stragula detraherentur, & voce surdâ quidpiam sonaret quod turbato Confessionis aut Communionis vocabula referret, non est ausus interrogare. Nocte igitur postera iubet *Gerardus* suo in cubiculo vt Petro pariter sternatur, & post suas preces incumbunt vestiti; Nox penè tota transigitur in nullo perterritis: Horâ tertiâ matutinâ Petrus graui mole pressus vociferatur, excitatque clamore *Gerardum*: Is accurrens monet rursus vt interroget; tergiuersantique secundo tertioque cum animum addidisset, ostendit se primum species quædam in figuram formata pene puerilem; dein pergente Petro rogare quis esset? auctâ ad viri staturam figurâ respondet "Me non nosti? Sum Pater tuus" ad quam vocem excitatior Petrus exclamat, Pater meus, Pater meus) rogatque quid vellet; Tum cum aliquamdiu tanquam loquenti alicui dedisset aures, tremulâ voce "Ego, inquit, cras mane, nudis pedibus, & manu gestans cereum ire debeo ad Sancti Martini, & ibi sacro San-

Animæ in  
purgato-  
rio deten-  
tæ liberatio.